MASTER NEGATIVE
NO. 93-81335-17

AUTHOR:

VISCHER, WILHELM

TITLE:

INSCRIPTIONES SPARTANAE PARTIM...

PLACE:

BASILIAE

DATE:

1853

Master Negative #

93-81335-17

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Vischer, Wilhelm. 1808-74.
Inscriptiones Spartanae partim ineditae octo.
Basiliae 1853. Sq.Q. 16p. 2pl.

Academic dissertation at Basel (Switz.) university.


413628

No. 12 of a v. of pamphlets.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35x REDUCTION RATIO: 13x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 4-28-93 INITIALS MLY
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT





AIIM


Association for Information and Image Management


1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202







MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

No. 12.

MUNUS DOCTORIS

IN

UNIVERSITATE BASILIENSI

ANTE HAEC QUINQUE LUSTRA

A

VIRIS CLARISSIMIS

C. FR. MEISNER

PHIL. MED. ET CHIR. DOCTORE BOTANICES PROFESSORE P. O.

ET

CHR. FR. SCHOENBEIN

PHIL. DOCTORE PHYSICES ET CHEMIAE PROFESSORE P. O.

FELICITER SUSCEPTUM

DIE XVII NOVEMBRIS CELEBRANDUM

RECTORIS MAGNIFICI ET SENATUS ACADEMICI NOMINE

INDICIT

GUILELMUS VISCHER

LITTERARUM GRAECARUM PROFESSOR P. O.

INSCRIPTIONES SPARTANAE

PARTIM INEDITAE OCTO.

E LAPIDIBUS TRANSSCRIPSIT EDIDIT ILLUSTRAVIT

GUILELMUS VISCHER.

BASILIAE
TYPIS IOHANNIS SCHWEIGHAUSER ACADEMIAE TYPOGRAPHI.
MDCCCLIII.

Cum collegarum suffragiis mihi mandaretur ut professionem in litterarum Universitate Basiliensi a Viris Clarissimis, itemque mihi conjunctissimis, Carolo Friderico Meisner, philosophiae medicinae et chirurgiae doctore, botanices professore p. o. et Christiano Friderico Schoenbein, philosophiae doctore, physices et chemiae professore p. o. ante haec quinque lustra susceptam commentatione qualicunque indicerem, incertus haesi aliquamdiu, quod argumentum tractandum eligerem. Quid enim longius abesse videtur ab antiquis litteris, quam studia illa quae profitentur Viri Clarissimi, quorum alter genera plantarum ordinanda et illustranda non sine summa eruditorum laude sibi sumserit, alter vero chemiae mysteriis initiatus quasi novum quoddam fulminis genus invenerit! At cogitanti mihi non solum universas litteras artissimo inter se conjunctas esse vinculo, sed etiam utrumque duumvirum illorum, cum suae disciplinae decus, tum humaniorum quae vocantur studiorum fautorem et strenuum defensorem esse, animus mihi redditus est, neque ingratum facturus esse mihi visus sum, si argumentum vel e reconditioribus antiquitatis partibus sumtum hac scriptiuncula tractarem. Cumque nuper reversus sim ex itinere per Italiam, Siciliam, Graeciam orasque illas facto, quae quondam a colonis Graecis occupatae et quam maxime florentes nunc adhuc barbarorum sub dominatione ingemiscunt, nihil magis e re videtur, quam huius itineris fructus quosdam cum viris doctis communicare. Liceat igitur mihi inscriptiones aliquot Spartanas e schedis meis depromptas breviter explicare. Cum enim mense Aprili huius anni, Spartae versarer, parvo oppido seu potius vico, in solo illustris quondam urbis exstructo, titulos aliquot, cum in ipsa urbe tum in vicinia transscripsi, quorum alios non sine voluptate plane ineditos*) alios minus accurate descriptos esse animadverti. Et quamvis neque rerum copia comparari possint illis qui proximis abhinc annis Athenis, ut opinantur in *βουλευτηρίῳ*, inventi sunt, neque nimia vetustate commendentur, nihilominus non plane contemnendos esse facile videbunt, qui inspicere eos voluerint.

Ceterum cum in nostris officinis typi non inveniantur quibus diversae litterarum Graecarum figurae reddantur, tabulas lithographicas conficiendas curavi, quamquam multum abest ut ad eam similitudinem redactae sint, qua tituli latini a V. Cl. Ritschelio nuper editi conspicui sunt. Plerumque enim tempus defuit ad ectypum chartaceum faciendum, et fieri vix potest, ut transscribendo aliquis litterarum formas plane accurate reddat.

*) Lebasii inscriptiones inspiciendi copia mihi non erat, exceptis paucis illis quas edidit in «Revue de philologie.»

1.

Stele est fastigiata, quam Spartae vidi in horreo architecti cuiusdam. Lapis, si bene memini, calcareus est, altitudinem sine aetomate habet nonaginta centimetrorum gallicorum, latitudinem quinquaginta. Singulae litterae fere centimetrum et dimidium altae sunt.

πό(θ)οθον ποιησαμένου Δαμίωνος
τοῦ Θεοκρίτου Ἀμβρακιώτα περὶ
προξενίας καὶ ἐπελθόντος ἐπί
τε τὰς συναρχίας καὶ τὸν δᾶ-
μον καὶ ἀπολογισαμένου ἃ ἦν πεποι-
ηκ)ὼς εὔχρηστα καὶ κατὰ κοινὸν καὶ
κατ᾽ ἰδίαν τοῖς ἐντυγχάνουσιν τῶν π(ο-
λιτ(ᾶ)ν, ἔδοξε τῷ δάμῳ πρόξενον
εἶναι τᾶς πόλεος Δαμίωνα Θεοκρίτου
Ἀ)μβρακιώταν καὶ αὐτὸν καὶ ἐγγόνους
κ)αὶ ὑπάρχειν ἀτέλειαν αὐτῷ τε καὶ ἐγ-
γ)όνοις καὶ γᾶς καί οἰκίας ἔγκτησιν
. . . . . . ἐλ)Λακεδαίμονι· ὁ δὲ ἐγδο-
τ)ὴρ (ἐγ)δότω στάλαν λιθίναν, εἰς ἂν
ἀναγραφεῖσα (ἁ) δεδομένα προξενί-
α) ἀν(α)τεθήσεται εἰς τὸ ἱερὸν τᾶς Ἀθάνας
κ)ατὰ συνγραφὰν, ἃν καὶ γράψει ὁ ἀρχιτέ-
κ)των· τὸ δὲ ἀνάλωμα δόντω οἱ ταμίαι·
ἐπα(ινέ)σαι δὲ αὐτὸν καὶ ἐπὶ τᾷ ἐν-
δαμίᾳ καὶ ἀναστροφᾷ, ᾇ πεποίηται
ἐν τᾷ πόλει· καλεσάντω δὲ αὐτὸν
καὶ οἱ ἱεροθύται ἐπὶ ξένια ἐπὶ τὰν κοι-
νὰν ἑστίαν.

Litteraturae genus ad alterum primumve saeculum ante Christum natum referendum esse videtur. Dialectus est mitior illa Dorica, qua Spartanos post annum ducentesimum ante Chr. usos esse constat. cf. Ahrens de dialecto Dorica p. 405, 417.

Plebiscitum est, quo Spartani in Damionem, Theocriti filium Ambraciensem proxeniae iura et honores conferunt. Similes tituli Laconici sunt in C. J. n. 1334 et 1335, at non Spartanorum, sed alter Geronthratarum, alter foederis Laconici. Noster ipsorum Spartanorum est. Nam v. 9 Damion *πρόξενος τᾶς πόλεος* declaratur, urbis non foederis, et hanc urbem aliam non fuisse, atque ipsam Spartam nomen *Λακεδαίμων* v. 13 docet.

πόθοδον correxi pro *ΠΟΟΟΔΟΝ*, quod in apographo habeo. Dorica est forma pro *πρόςοδον*, ut in titulo Corcyraeo C. J. n. 1845. v. 39 aliisque multis. *πόθοδον* sive *πρόςοδον ποιεῖσθαι* formula vel ex oratoribus Atticis notissima, saepissime in inscriptionibus invenitur, idemque significat quod *ἐπέρχεσθαι*, quocum hic juncta est cf. C. J. n. 2271 v. 4. Non igitur mirum, *ἔφοδον* quoque eodem sensu in usu fuisse, de quo cf. C. J. n. 2053. b. v. 10, n. 2056. v. 20, n. 2477. v. 6, n. 2347. v. 2. Ross inscr. ined. fasc. II. n. 113. Meier de proxenia p. 17.

v. 4. *αἱ συναρχίαι. συναρχία* est collegium magistratuum, ut Spartae ephororum, patronomorum, senatorum cett. Vide Boeckh. C. J. I. p. 610. Sed in nostra inscriptione habemus *τὰς συναρχίας*, non unum tantum collegium, sed conventum collegiorum magistratuum, qualem in variis Graecorum civitatibus iam satis antiquis temporibus contionis vices gessisse Aristoteles auctor est, Polit. IV, II, 3. *καὶ ἐν ἄλλαις δὲ πολιτείαις βουλεύονται αἱ συναρχίαι συνιοῦσαι.* Post Aristotelem saepius memorantur, ut a Polybio IV, 4 Messeniorum, XXVII, 2 Achaeorum, et videntur in civitatibus modo maiorem, modo minorem potestatem habuisse, ita ut in aliis ad senatum et populum referrent, in aliis ipsius senatus munere functae ad solum populum. Aegosthenis certe *συναρχίαι* referunt ad senatum populumque, ut docet titulus Megarensis editus a Welckero in Bulletino dell' Instituto Archeol. 1843. p. 169 et repetitus in kleine Schriften III. p. 342, quem cetera praeclare explicantem in eo tantum errasse arbitror, quod *συναρχίας* aesymnetarum seu prytanum loco per singulos menses rempublicam gessisse et ad senatum retulisse statuit. Nam Megaris ipsis *συναρχίαι* memorantur una cum aesymnetis in titulo nisi fallor adhuc inedito, quem Aprili huius anni ipse transscripsi. Cuius initium cum in meo apographo ita se habeat

ΣΙΝΑΡΜΑΙΠΡΟΕΒΟΥΛΕΥΣΑΝΤΟΠΟΤΙΤΟΥΣΑΙΣΙΜΝΑΤΑΣ
ΒΟΥΛΑΝΚΑΙΤΟΝΔΑΜΟΝ

dubium non est, quin legendum sit: *συναρχίαι* (sive *αἱ συναρχίαι*) *προεβουλεύσαντο ποτὶ τοὺς αἰσιμνάτας* (*καὶ τὰν*) *βουλὰν καὶ τὸν δᾶμον.* Retulerunt igitur *αἱ συναρχίαι* ad aesymnetas, senatum et populum. Iam cum Aegosthenae oppidum Megaricum esset, verisimile est, ibi quoque senatui aesymnetas (*αἰσιμνάτας*) seu prytanes praefuisse, quos in decreto omissos esse nemo mirabitur, quippe qui nihil aliud quam senatus pars essent. In titulo vero nostro Spartano, cum *αἱ συναρχίαι* et populus coniuncti sint, nulla senatus mentione facta, videntur Spartae tum temporis magistratus collecti rempublicam ita gessisse ut si non in omnibus at in nonnullis negotiis non interveniente senatu cum populo agerent, neque improbabile est ipsum senatum, (*γερουσίαν*) quem vel tempore Romano exstitisse scimus (vide Boeckhium in C. J. I. p. 618), cum ceteris magistratibus conventum magistratuum, sive *τὰς συναρχίας* effecisse. Ceterum cum his *συναρχίαις* possunt comparari *τὰ τέλη* sive *οἱ ἐν τέλει*, quorum Thucydides et Xenophon saepe mentionem faciunt, neque alienum, quod in aliis quoque civitatibus identidem *οἱ ἄρχοντες* una cum senatu et populo commemorantur ut in titulo Amorgino C. J. n. 2269 *ἔδοξε ἄρχουσι βουλῇ δήμῳ*, in Olbiopolitanis n. 2061. n. 2062.

ἔδοξε τοῖς τε ἄρχουσι καὶ τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ, et similiter in Dymaeo n. 1543 *Δυμαίων τοῖς ἄρχουσι καὶ συνέδροις καὶ τῇ πόλει χαίρειν.*

Δαμίων, nomen nunc civis Ambraciensis, Spartae usitatum fuisse demonstrant tituli Spartani C. J. n. 1289. b. n. 1296 et titulus itidem Spartanus ab H. Sauppio editus in Museo Rhenano novo IV. p. 159. In Papei Lexici prima editione desideratur, alteram nondum inspexi.

Cum alias civis aliquis eius civitatis, quae proxeniam conferret, rogationem ferre soleret, qua de re consulas Meierum in libello de proxenia p. 13., exordium nostri tituli docet Damionem ipsum apud magistratus populumque proxeniam petiisse et merita sua recensuisse, cuius rei aliud exemplum desidero. Quamquam non dubito quin saepius factum sit. Nam in plerisque huiusmodi decretis, aut brevissimo aut nullo praemisso exordio, de rogatione omnino siletur et id tantum dicitur proxeniam a civitate in aliquem esse collatam, quod aut ipso peregrino petente aut cive quodam pro eo rogante fieri potuit.

v. 5. *ἀπολογίζεσθαι* est enumerare, recensere. Suidas s. v. *ἀπολογίσασθαι τὸ ἐπεξελθεῖν ἕκαστα. Δημοσθένης.* cf. Grammaticum apud Bekk. anecd. p. 730. 15 et Zonaram c. 266. Demosth. c. Timocr. §. 108 *βούλομαι τοίνυν ὑμῖν, ἃ ὑπεσχόμην ἐν ἀρχῇ τοῦ λόγου, ἀπολογίσασθαι πεποιηκότα ἐμαυτὸν*, ubi libri manuscripti perperam *ἀπολογήσασθαι.* Alias significat rationes reddere, ut C. J. n. 1845 v. 95. 97. 104.

v. 10 *ἐγγόνοις* forma in inscriptionibus usitatissima pro *ἐκγόνοις.*

v. 13. Quid inter *γᾶς καὶ οἰκίας ἔγκτησιν* et *Λακεδαίμονι* legendum sit, nondum assecutus sum, Spatium est fere decem litterarum, sed ita sunt detritae in lapide ut certi nihil eruere potuerim, neque litteras quas in transscribendo mihi agnoscere visus sum, veram lectionem praebere affirmavevim. In ectypo chartaceo, quod feci, satis perspicuae exstant litterae *ΟΙΕ*, nisi forte pro *Ο* est *Θ* Minus certae sunt *ΟΠ* initio et *Χ* post *Ε*, certum *Λ* ante *Λακεδαίμονι.* In lacuna post *Χ* videntur duae litterae fuisse, ante *Λ* suspicor *Ε*, ut legendum sit *ἐλ Λακεδαίμονι* i. e. *ἐν Λακεδαίμονι.* Sensus requirere videtur *ὁπᾷ κα θέλῃ ἐλ Λακεδαίμονι* vel tale quid, quocum conferri potest C. J. n. 2230 v. 11 *καὶ πρὸς φυλὴν καὶ φρατρίαν προσγραφῆναι ὁποίαν ἂμ βούλωνται*, vel n. 2483. v. 21 *ἐξέστω δὲ αὐτῷ καὶ ἀνάθημα ἀναθέμεν ὁπᾷ κα χρήζῃ.*

ἐγδοτήρ, vocabulum aliunde non notum, idem qui *ἐγδότης* in titulo Syrio C. J. n. 2347. c. v. 60 squ. *ἑλέσθαι δὲ ἄνδρα ὅςτις ἐγδώσει τὴν στήλην καὶ στήσει καὶ ἐπιμελὲς ποιήσεται ὅπως ἀναγραφῇ τόδε τὸ ψήφισμα· τὸ δὲ ἐσόμενον ἀνήλωμα εἴς τε τὴν στήλην καὶ τὴν ἀναγραφὴν δότω ὁ ταμίας Ἀρισταγόρας ἀπὸ τῆς ἐγκυκλίου διοικήσεως καθότι ἂν συντελέσῃ ὁ ἐγδότης.* At cum in titulo Syrio ad erigendam columellam *ἐγδότην* creandum esse statuatur, e titulo Spartano id effici videtur ut Spartae *ὁ ἐγδοτήρ* ordinarius magistratus seu minister fuerit, cuius esset opera publica locare.

ἐγδοῦναι i. e. *ἐκδοῦναι τὴν στήλην* significare conficiendam columellam locare docuit Boeckhius l. l. Ceterum confer quae de magistratibus, quibus cura decreti scribendi et columellae erigendae in variis civitatibus commendari solebat, disputavit Meierus de proxenia p. 25 et die Privatschiedsrichter und die öffentlichen Diäteten Athens p. 50.

v. 16. *τὸ ἱερὸν τᾶς Ἀθάνας*, quamquam Minervae Erganes et Ophthalmitidis templa Spartae fuisse constat, tamen hic Chalcioeci templum significare non est, de quo dubites. Minerva enim Chalcioecus erat *Πολιοῦχος*, urbis tutrix, templumque longe sanctissimum Spartae habuit, ita ut Minervae nomen, nullo addito epitheto, non nisi hanc significare possit. Erganes contra et Ophthalmitidis fana seu sacella videntur in ambitu ipsius Chalcioeci templi (*ἐν τῷ τεμένει, ἱερῷ περιβόλῳ*) sita fuisse. Pausanias III. 17. 18. Curtius Pelop. II. p. 227 squ. Ceterum non ipsa aedes, sed totus locus sacer (*τὸ τέμενος*) intelligendus esse videtur, ut Athenis decreta publica plerumque in arce, non in ipsa Minervae aede ponebantur.

v. 17. *συνγραφὰ* est contractus de columella erigenda.

ὁ ἀρχιτέκτων videtur hic non redemtor esse, cui columella conficienda erigendaque locabatur, (*ἐργολάβος, ἐργώνης, μισθωτής*) quamvis plerumque architectos opera publica redemisse sciamus, qua de re confer Boeckh. Oecon. Publ. Ath. I. p. 219. (p. 286 ed. alt.), sed potius architectus publicus operibus a civitate decretis praefectus, quales in titulis Atticis et Delio (C. J. n. 2266) commemorari, idem Boeckhius l. l. monuit. Neque diversus est, qui in titulo Cretico a Lebasio in „Revue de philologie" I. p. 266 squ. edito nominatur. Quod si recte statuimus, videtur sensus esse contractum (*τὰν συνγραφὰν*) a locatore (*ἐγδοτῆρι*) una cum architecto publico conscribendum esse. Sed, ut verum fatear, videtur mihi hoc paullo obscurius dictum esse et suspicor me in describendis his litteris paullulum a vero aberrasse et pro *καί* in lapide scriptum esse *κα*, quamvis etiam in ectypo chartaceo, quod hoc loco non bene expressum esse doleo, inter *ΚΑ* et *Γ* spatium fere unius litterae esse videatur. Quod si legitur *ἄν κα γράψει, γράψει* est conjunctivus Aoristi, qua de forma Dorica consulas Ahrens. de dial. Dor. p. 294. Confirmatur haec lectio inscriptione Cretica supra laudata, in qua formula *καθ' ἅ κα ὁ ἀρχιτέκτων συγγράψῃ* plane congruit cum verbis *κατὰ συνγραφὰν ἄν κα γράψει ὁ ἀρχιτέκτων.* Attamen dubitavi conjecturam in textum litteris minusculis scriptum recipere. Architectus Spartanus, nomine Damocrates, quem et ipsum magistratum publicum fuisse Keilius suspicatus est, commemoratur in titulo a Welckero Spartae descripto et edito in Bulletino dell Instituto Archeol. 1844. p. 145 et repetito in Kleine Schriften III. p. 251, itemque a. C. Keilio in doctissima commentatione: Zwei griechische Inschriften in Sparta und Gytheion. Leipz. 1849.

v. 18. *δόντω* et v. 21 *καλεσάντω* Dorica forma imperativi pro *δόντων* et *καλεσάντων* cf. Ahrens de dial. Dor. p. 296.

v. 18. *ταμίαι* Spartani hucusque noti non erant, nisi ex C. J. n. 1240 col. III. v. 21, ubi Boekhius *ταμίας* restituit. Nam qui in titulo Laconico C. J. n. 1335 nominatur *ταμίας*, non Spartae, sed communionis Laconicae magistratus est. Titulus noster plures fuisse docet. E tituli Olbiopolitani C. J. n. 2058 B. v. 65 verbis *ἐπὶ τῆς κοινῆς οἰκονομίας καὶ ταμιείας γενόμενος* potuerit aliquis suspicari *ταμίαν* eundem fuisse, qui in aliis titulis *οἰκονόμος* nominatur (C. J. n. 1276 titul. Welckerian. supra laud. v. 10.) At *οἰκονόμος* Spartae quidem videtur potius minister, quam magistratus fuisse, cum *Φιλοδέσποτος* qui n. 1276 *οἰκονόμος*, n. 1239 II. 9 *δημόσιος* sit. *Ταμίαι* autem erant magistratus.

v. 19. Pro *ἐπα(ιν)ησαι* quod in apographo est, ectypum chartaceum *ἐπαινέσαι* praebere videtur, quod rcipere non dubitavi, cum haec forma etiam apud Dorienses sola in usu fuisse videatur, quamvis Pindarum epicam formam Aoristi usurpasse constet. Vide exempli causa C. J. n. 1693. v. 14. n. 2483 v. 10. Curtii Anecdota Delph. n. 41. v. 9. n. 42. v. 8. Ross. Inscr Ined. fasc II. n.175. v. 21

v. 20. Formula *ἐπὶ τᾷ ἐπιδαμίᾳ καὶ ἀναστροφᾷ ᾇ πεποίηται* usitatissima est in talibus decretis. Cf. C. J. nn. 1193. 1331. 1339. all.

v. 22. *ἱεροθύτας*, quamvis ab auctoribus rarissime commemoratos in multis Graecorum civitatibus fuisse ex inscriptionibus novimus. Phigaleae tres fuisse Pausanias VIII. 42. 12 narrat, Messenae occurrunt in titulo Messenio C. J. n. 1297. Franz Elem. Epigr. n. 113. Agrigenti *ἱεροθύτας* magistratus eponymus est C. J. n. 5491, itemque Segestae C. J. n. 5546 et Melitae C. J. n. 5752. Frequentissima autem eorum mentio fit in titulis urbis Lindi in Rhodo insula, ubi collegium minime quindecim *ἱεροθυτῶν* erat, cuius princeps *ἀρχιεροθύτας* nominabatur. Ross Inschriften von Lindos auf Rhodos, in Museo Rhen. nov. IV. p. 161 squ. n. 9 n. 17. Inscriptiones Inedit. fasc. III. n. 271.

v. 20. Convenire solebant in *ἱεροθυτεῖον*, quod cum *ἱεροθυσίῳ* Messenio a Pausania IV. 32. 1 memorato et prytaneo Atheniensium iam comparavit Rossius l. l. Ut Athenis *σίτησις ἐμ πρυτανείῳ* sic Lindi *σίτησις ἐν ἱεροθυτείῳ* civibus de republica bene meritis decerni solebat. Vide titulos n. 1. v. 7. n. 21. v. 8. n. 22. v. 9. in Museo Rhen. l. l. A Lindiis colonis Agrigentinos *ἱεροθυτῶν* institutum recepisse verisimile est. Spartae quoque *ἱεροθύτας* fuisse nunc primum discimus. Praeerant *τᾷ κοινᾷ ἑστίᾳ*, peregrinosque, quibus decreto populi honor esset habendus, istuo ad coenam vocabant. Erat igitur *ἁ κοινὰ ἑστία* Spartae idem quod *ἱεροθυτεῖον* Lindi, quod *πρυτανεῖον* Athenis et aliis in civitatibus, seu ut accuratius loquar, appellabant Lindii aedificium, in quo *ἡ κοινὴ ἑστία* erat, *ἱεροθυτεῖον*, Athenienses aliique *πρυτανεῖον*, quam ob rem etiam *πρυτανεῖον* et *ἡ κοινὴ ἑστία* coniunguntur, velut in titulo Delphico apud Ulrichs Reisen in Griechenland I. p. 67 *καλέσαι δὲ αὐτὸν καὶ ἐν πρυτανεῖον ἐπὶ τὰν κοινὰν ἑστίαν*. Iam verisimile fit cives illos, qui Spartae *σιτηθέντες, ἔνσιτοι, σύσσιτοι* nuncupati, saepe in titulis obviam sunt, ad *κοινὰν ἑστίαν* i. e. in aedificio in quo erat *ἁ κοινὰ ἑστία* coenam habuisse. Ceterum vide de his Welcker. in. adnotatione ad titulum Spartanum supra laudatum, C. Keil. Zwei Inschriften p. 4. 5, de *σιτήσει ἐμ πρυτανείῳ* in universum et de coena peregrinis data Meierum de proxenia p. 16, Die Privatschiedsrichter und die öffentl. Diäteten p. 50. de vita Lycurgi p. XCI squ. C. Keil. Sylloge Inscript. Boeot. p. 26 et, quem hic laudat, Voemelium in disquisitione „De locutione *ΕΠΙΞΕΝΙΑΚΑΛΕΙΝ*“ (programm. Francof. 1831. p. 14.)

2.

Fragmentum inscriptionis in marmore albo, in eodem horreo inter alios lapides aedificiis exstruendis iacens. Litterae quinque centim. gall. altae.

3.

Spartae ante murum, qui ab inferiore theatri parte orientem versus porrigitur, in marmore albo Litterae maximae sunt, sed ut in superiore titulo maior pars deest, quam ut aliquid restitui possit,

4.

Apud vicum Mahmud-Bey, fere quartam horae partem a Sclavochorio distantem. Ubi cum nova ecclesia *τῆς ἁγίας Παρασκευῆς* exstrueretur, effodiebant in vicinia hic illic lapides quadratos, antiquorum aedificiorum reliquias, quas in illis locis ubique terra abscondit. Celeberrimum enim Amyclaeum situm erat ubi nunc Sclavochorion (Curt. Pelop. II. p. 247) neque longe aberant oppida quondam florentia Amyclae et Pharis. Quo cum venirem, vidi in scrobe nuper facta lapidem marmoreum album. Verto illico in alteram partem, et ecce, est pars superior columellae sive arae cum inscriptione brevissima quidem at bene servata. Litterae paulo negligentius incisae sunt fere 2—3 centim. altae. Litteraturae genus videtur ad idem fere tempus referendum esse, cui n. 1 assignavi, scilicet in secundum primumve ante Chr. saeculum, litterae *Π* figura etiam antiquior, quam in illo titulo, quamvis sciam in inscriptionibus posterioris quoque temporis hanc formam hinc inde inveniri, velut apud Franz. Elem. Epigr. n. 111.

Επὶ Πρατονίκου
πεδιανόμοι.

Videtur initium catalogi magistratuum esse, quales multi exstant in Corp. Inscr., et plane convenit n. 1267

νομοφύλακες
ἐπὶ Πομπηΐου

nisi quod in nostro eponymus ante magistratum positus est. Quod si res ita se habet, sequebantur nomina singulorum magistratuum in parte inferiore columellae, quae nunc deest. Nonne vero fieri potest, ut inscriptio integra sit et id tantum indicet, monumentum, cuius pars haec corona erat, a pedianomis Pratonico patronomo, positum esse? Utut hoc est, titulus non exigui est momenti, quod magistratum aliunde plane ignotum, immo novum vocabulum praebet. Nam *πεδιανόμος* nusquam alias, quod sciam, occurrit. Proxime tamen accedit altera forma eiusdem vocis, *πεδιονόμοι*, qua tamquam deorum epitheto usus est Aeschylus Septem. v. 254.

ἐγὼ δὲ χώρας τοῖς πολισσούχοις θεοῖς
πεδιονόμοις τε κἀγορᾶς ἐπισκόποις
κ. τ. λ.

θεοὶ πεδιονόμοι, qui *ἀγορᾶς ἐπισκόποις* opponuntur, sunt dii qui agros tuentur. Vide Wieseler Beiträge zur Kritik und Erklärung von Aesch. Agam. und Eumenid. in Schneidewini Philol. VII. p. 110. Ut autem *θεοῖς ἀγορᾶς ἐπισκόποις* magistratus agoranomorum respondet, quem cum in plurimis aliis Graecorum civitatibus tum Spartae exstitisse scimus (Boekh. l. I. p. 610. H. Sauppe in Nov. Museo Rhenano IV. p. 159) ita *θεοῖς πεδιονόμοις* collegium pedianomorum. Quorum quod fuerit munus docet Aristoteles Polit. VI. 5. 3 et 4 *ἑτέρα δὲ ἐπιμέλεια ταύτης ἐχομένη καὶ σύνεγγυς ἡ τῶν περὶ τὸ ἄστυ δημοσίων καὶ ἰδίων, ὅπως εὐκοσμία ᾖ, καὶ τῶν πιπτόντων οἰκοδομημάτων καὶ ὁδῶν*

σωτηρία καὶ διόρθωσις, καὶ τῶν ὁρίων τῶν πρὸς ἀλλήλους, ὅπως ἀνεγκλήτως ἔχωσι, καὶ ὅσα τούτοις ἄλλα τῆς ἐπιμελείας ὁμοιότροπα. καλοῦσι δ' ἀστυνομίαν οἱ πλεῖστοι τὴν τοιαύτην ἀρχὴν, ἔχει δὲ μόρια πλείω τὸν ἀριθμὸν, ὧν ἑτέρους ἐφ' ἕτερα καθιστᾶσιν ἐν ταῖς πολυανθρωποτέραις πόλεσιν, οἷον τειχοποιοὺς καὶ κρηνῶν ἐπιμελητὰς καὶ λιμένων φύλακας.

4. *Ἄλλη δ' ἀναγκαία τε καὶ παραπλησία ταύτῃ· περὶ τῶν αὐτῶν μὲν γὰρ, ἀλλὰ περὶ τὴν χώραν ἐστὶ καὶ τὰ περὶ τὰ ἔξω τοῦ ἄστεος· καλοῦσι δὲ τοὺς ἄρχοντας τούτους οἱ μέν ἀγρονόμους οἱ δ' ὑλωρούς.*

Cum his confer, quae Plato de legg. p. 760 squ. de agronomis instituendis praecipit, quo de loco me monuit C. Fr. Hermannus, qui nuper, dum Basiliae versabatur, hunc titulum apud me viderat. Hoc enim patet Platonis Aristotelisque *ἀγρονόμους* eosdem esse, qui in nostra inscriptione *πεδιανόμοι* dicantur. Habebant igitur hi pedianomi curam agri publici, aedificiorum publicorum extra urbem sitorum, viarum et aquarum, cavebant ne termini fraude mutarentur omninoque securitati in agro prospiciebant.

De tempore quo hic magistratus Spartae sit institutus, nil constat, nisi quis suspicatur nomen quidem pedianomorum non ante Aristotelem exstitisse, quippe qui *ἀγρονόμων* et *ὑλωρῶν* nomina recenseat, at non *πεδιανόμων*. Sed quam leve sit hoc argumentum, facile perspiciet, qui cogitaverit omnia magistratus nomina enumerare Aristotelis non fuisse, qui paullo ante agoranomorum munere accurate descripto de nomine omnino tacuerit. Certe omnibus temporibus talem magistratum, etiamsi forte alio nomine, Spartae fuisse non est quod dubites.

Ad formam *πεδιανόμος* quod attinet, plane quadrat *πολιανόμος*, quod apud Dionem Cass. 43. 28, 48 et in titulis legitur.

Pratonicus patronomorum princeps est, quem post Cleomenis III tempora, Spartae eponymum fuisse luculenter docuit Boeckhius C. J. I. p. 605. Eiusdem nominis eponymus est in C. J. n. 1250, et n. 1276, cui praenomen Publio. Idemne fuerit incertum est. Nam nomen Pratonicus tam frequens erat Spartae, ut plures huius nominis patronomos eponymos fuisse non sit quod quis miretur. Praeter P. Pratonicum est *Πρατόνικος Λυσινικίδα* n. 1246 v. 7, *Σείτιμος Πρατονείκου* n. 1239 col. 2. v. 12. *ΠΡΑΤΟΜΕ* n. 1283. v. 10 pro quo *Πρατόνεικος* restituit Boeckhius, *Πρατόνικος ἐκ Περφίλας* in titulo supra laudato a Welckero edito v. 22, *Πρατόνικος Ἐπιστράτου πατρονόμος* in titulo a Lebasio Magulae prope Spartam invento et edito in „Revue Archéol." II. p. 639, repetito a C. Keil. Zwei Griech. Inschriften p. 3, *Πρατόνικος Ἀρχιτέα* in titulo, quem ipse transscripsi Paroriae. Vide infra n. 7. De Dorica forma *Πρᾶτος* pro *πρῶτος* nominibusque propriis inde derivatis confer Ahrens. de dial. Dor. p. 181, C. Keil. Anal. Epigr. et Onom. p. 77.

5.

Spartae in muro domus novae, si possessori fides, fere quatuor mensibus ante quam illic venirem repertus, i. e. sub initium anni 1853. Litterae sunt satis magnae.

Αὐτοκράτορι
Καίσαρι Ἀδρι-
ανῷ Σεβα-
στῷ Σωτῆ-
ρι.

Similes tituli sunt in C. J. n. 1309—1312.

6.

Ibidem in muro alius domus versus viam in lapide rubro.

Καλλικράτη
χαῖρε.
Διόκλια
χαῖρε.

Καλλικράτη vocativus est nominis proprii *Καλλικράτης*, quae forma in titulis non raro obviam est. Sic in titulo Argivo C. J. n. 1153 *Μενεκράτη χρηστὲ χαῖρε* (cf. nn. 1148 1150. 1154) in Boeotico apud C. Keil. Sylloge Inscr. Boeot. LXII. c. *Εὐκράτη* cf. Franz Elem. Epigr. p. 233. Ahrens de dial. Dor. p. 235. Quamvis possit alicui in mentem venire mulieris nomen esse pro vulgari forma *Καλλικράτεια*, ut *Ἱπποκράτη* apud Appollodorum II. 7. 8. At cum mulierum nomina in *κράτεια* seu *κράτια* desinentia in titulis Spartanis frequentissima sint, contra in *κράτη* nullum inveniatur, neque in aliis inscriptionibus me exemplum huius formae videre meminerim, pro certo habeo vocativum nominis *Καλλικράτης* esse. Praeterea hoc nomen proprium Spartae frequentissimum erat. Vide C. J. nn. 1240, 1241, 1243, 1248, 1249, 1252, 1256, 1271, 1284, 1375, 1395, 1405, et tit. Welcker.

Διόκλια dicitur, quae vulgo *Διόκλεια* audit, ut C. J. n. 759. Tertia horum nominum forma est in *εα*, ut *Νικόκλεα*, *Δαμόκλεα*, *Ἱερόκλεα* v. Ahrens. d. dial. Dor. p. 188 Lobeck. Pathol. l. gr. p. 41 squ.

Callicrates et Dioclia videntur coniuges fuisse.

7.

Paroriae, suburbio Misithrae in fonte sub platanis grandissimis, quo loco amoeniorem non novi. Litterae valde detritae et lectu difficillimae sunt. Transscripsit iam et edidit Ludovicus Ross Inscr. Gr. Ined. fasc. I. n. 27, sed minus integrum, quamquam neque mihi contigit ut omnia legerem. Quae in illius apographo differunt, haec sunt.

Tres primi versus plane desunt. v. 4. . . *ΚΛΕΙΔΑΣ*, omisso *Ω*. v. 6. *ΟΛΣΩΝ* v. 7. *ΚΛΛΙΜΑΧΟΣ* v. 8. . *ΙΛΙΔΙΣΚΙΩΡΟΣ* v. 9. deest.

Ἀγ)ο(ρανό)μ(οι
ἐ(π)ὶ Σοιξι(ά)δα

Π)ρατόνικος Ἀρχιτέα
Σ)ωκλείδας Πίστου
Δίων Τιμοφάνεος
. . . . Ἀνδρονίκου
Κ)αλλίμαχος Καλλιμάχου
. . . .
Ἀ)θηνίων.

Catalogus magistratuum est. Quod restitui in versu primo et secundo, dubitanter tantum in textum litteris minusculis scriptum recepi, quamquam *ἐπὶ Σοιξιάδα* certum videtur. Est nomen patronomi eponymi. Sed quid sit illud Σ, quod habeo in initio versus secundi, non video, nisi forte sub eo latet *οἱ*, ut sit *ἀγορανόμοι οἱ ἐπὶ Σοιξιάδα.* Articulus in huius modi titulis modo deest, modo additur, ut C. J. n. 1248 *ἔφοροι οἱ ἐπὶ Ἀ(ττ)ικοῦ.*

De agoranomis, qui in locum veterum *ἐμπελώρων* successerint, vide praeter Boeckh. C. J. I. p. 610, H. Sauppium in N. Museo Rhenano IV. p. 159. Nomen *Σοιξιάδας* laudat Boeckh. ad. C. J. n. 1271. e Maffei Museo Veronensi p. 21. 5. ubi, ut in meo apographo lapidis Paroriani, *ΣΟΙΞΙΑΔΑ* scriptum erat. Similia nomina Spartana sunt *Σοιξιτέλης* C. J. n. 1271, n. 1282, n. 1373. *Σοΐξιππος* n. 1457, quae a verbi *σώζω* forma Laconica *σοΐδδω* Aorist. *ἐσόϊξα* ducta esse vidit C. Keil. Anal. Epigr. et Onom. p. 117.

Ἀρχιτέα genitivus est nominis *Ἀρχιτέας* aliunde non noti, quod forte cum *Ἀρχύτας* cohaeret, cum *υ* et *ι* saepe. inter se commutentur. De terminatione nominum propriorum in *έας* egerunt. Lobeck Paralip. p. 239. C. Keil Anal. Epigr. et Onom. p. 71. Non exstat hoc nomen in Papei lexico.

Σωκλείδας nomen Spartae satis frequens est. Apud Xenoph. Hell. VII. 4. 19 est *Σωκλείδας ὁ Σπαρτιάτης*, C. J. n. 1239 *Σωκλείδας Εὐδάμου*, n. 1262. *Ἀγησίνικος Σωκλείδα*, apud Ross. Inscr. Ined. fasc. I. n. 22 *ἐπὶ Σωκλίδα.* Vide C. Keil. Anal. p. 76.

Πίστος Spartae occurrit C. J. n. 1278, n. 1320. Eiusdem radicis est *Ἄπιστος* n. 1273.

Δίων patronomus eponymus est n. 1254.

Τιμοφάνης. Notus est huius nominis tyrannus Corinthius, Timoleontis frater, Plut. Timol. 3, 4. Quod v. 6 Rossius recepit *Θράσων* neque illius neque meo apographo bene convenit, cum littera ante *Α* aut *Ο* aut *Θ* sit. Quid vero hic lateat me plane nescire fateor, an forte *Κιθαιρὼν?*

v. 7. Notum est signum in titulis Laconicis, quo significatur patris nomen idem fuisse ac filii Boeckh. C. J. I. p. 613. Franz Elem. Epigr. p. 374. Inter versum septimum et octavum spatium ceteris maius est. Litterae versus octavi, ut primi et secundi, itidem paullo maiores sunt. Versus 8 quomodo explicandus sit, ignoro. Erat cum cogitabam latere hic Dioscurorum nomen.

(*Ἀ)θηνίων* fortasse ut in C. J. n. 1271 est minister (*ὑπηρέτης*), cum in fine tituli positus esse videatur, et patris nomen, ut saepe in ministris, omissum sit. Certe ipsorum magistratuum (si recte vidi, agaranomorum) recensio versu septimo finitur, ita ut quinque habeamus, numerum etiam in aliis magistratibus Spartanis usitatum. Obstare quidem videtur titulus ab H. Sauppio in N. Museo

Rhen. IV. p. 159 vulgatus. In illo enim nominatur unus agoranomus et sequuntur septem *σύναρχοι*[1]) unde collegerunt octo fuisse agoranomos. At hoc non plane certum. Nam in alio titulo a Lebasio edito et iterum a C. Keilio Zwei Gr. Inschriften p. 3 sex sunt patronomi et sex *σύναρχοι*, quod docet *τοὺς συνάρχους* non semper plane eosdem fuisse, ac magistratus ante eos nominatos. Praeterea aliorum quoque magistratuum numerus non in omnibus inscriptionibus idem est (v. Boeckh. C. J. I. p. 608, 609) et potuit aliis temporibus alius esse, velut bideos Pausanias quinque esse refert, in titulo autem n. 1364 sex sunt.

8.

Spartae ante scalam domus Phikioli ante aliquot annos exstructae, in solo, loco parum idoneo servandae inscriptioni, quae nisi lapis in alium locum transpositus fuerit, brevi omnino evanescat necesse est. Nunc tamen adhuc omnia bene leguntur, excepta lacuna in primo versu, ultimisque litteris. Praeter haec nihil deest. Lapis et calcareus durus, metrum gall. latus, 55 centim. altus, litterae fere 3 centim. altae. Est titulus C. J. n. i. 1420, quem Fourmontus Magulae inter Spartam et Misithram „in ecclesia *τῆς Ταχιάρχης*“ sed minus accurate descripsit. Variae lectiones Fourmonti hae sunt.

v. 1. *ΗΠΟΛΙ . . . . ΜΩΝΑΙΩΝΙΟΥΛΙΟΝ* v. 3. . . *Γ*. . . *ΝΙΕΥΚΗΣΑΝΤΛ*, tum deest *I* in fine. v. 4. *ΠΙΘΙΑ* v. 5. initio $\overline{IPI}$ v. 6. post *καὶ* itidem $\overline{IPI}$, tum $\overline{TM}$ v. 7. pro littera quarta *Θ*, forma vetustior cum duabus lineolis in circulo, crucis speciem exhibentibus. *ΕΜΩΛΗ* pro *ΕΝΟΛΗ*, *ΕΛΛΛΛΙ* pro *ΕΛΛΛΔΙ* v. 8. *ΔΟΝΙ* omisso *Α*, et deest *ΚΑΙΚΡΗΤΩΝ.*

In sinistro latere trium primorum versuum nihil deest, sed lapis nescio qua de causa statim ab initio hic sine litteris mansit. Plurima jam Boeckhius correxit, quantum quidem e Fourmonti apographo fieri potuit. Nunc ita fere erit legendum.

ἡπό(λις ἡ Σ)μυρναίων Γάϊον Ἰούλιον
Ἰουλιανὸν τὸν ἴδιον πολείτην
νεικήσαντα τραγωδοὺς οὐρανι-
αδα(?)τρίς καὶ Πύθια καὶ κοινὰ Ἀσίας
τρὶς καὶ τοὺς λοιποὺς ἀγῶνας πενταετη-
ρικούς τε καὶ τριετηρικοὺς τμ(?) πολει-
τευθέντα δὲ ἐν ὅλῃ τῇ Ἑλλάδι καὶ Μακε-
δονίᾳ καὶ Θεσσαλίᾳ — καὶ Κρητῶν . .

Inscriptio est dedicatoria statuae vel similis monumenti, quod Smyrnaei civi suo ob victoriam,

[1]) Caute l. Keil. Zwei Inschriften p. 11. Wenn z. B. in dem zuletzt gedachten Titel nach einem Agoranomos und seinem Eigennamen *σύναρχοι* und die Namen folgen, so heissen diese *σύναρχοι* ausserdem **ohne Zweifel** offiziell ebenfalls *ἀγορανόμοι*.

in certaminibus Spartanis Uraniis reportatam Spartae posuerunt. Plane eodem modo Gortynii et Nicomedenses cives suos Delphis honoraverunt, vide tit. C. J. n. 1719, n. 1720.

Pro *οὐρανιαδα* Boeckhius scripsit *οὐράνια μεγάλα*, at nihil deest initio versus quarti. Quomodo illud sit explicandum, ignoro, nisi forte horum certaminum nominis forma insolentior subest. Si esset *Οὐρανίδια* poterant comparari *Ἐρωτίδια-Ἐρώτια*, *Ἀσκληπίδεια-Ἀσκληπίεια*, aliaque huius. generis. At perspicue scriptum est quod iam Fourmontus dedit. Notanda sunt in eodem titulo iuncta sigla numeralia $\overline{Γ}$ et $\overline{ΙΙΙ}$, et scriptura *πενταετηρικοὺς* et *$\overline{ΙΙΙ}$ετηρικοὺς*. Nam hoc v. 6. exstare videtur.

Quod est post *τριετηρικοὺς* $\overline{ΤΜ}$, ut plane portentosum (340) numerum victoriarum designare non posse, Boeckh. monuit. At quod suspicatus est solum M scribendam esse, fieri non potest, exstat enim perspicue $\overline{T}$ et supra litteram M, si recte transscripsi, abest lineola transversa. Nescio igitur an sit pro *τομ* i. e. *τὸν*, cum alias siglum $\overline{T}$ pro *τὸ* esse videatur (Franz Elem. Epigr. p. 372, C. J. n. 3481) et fortasse lapicida paullo negligentius non animadverteret *τόμ* unum vocabulum efficere.

Ante *καὶ Κρητῶν* notandum est signum interpunctionis. Videntur igitur haec verba post absolutum iam titulum adiecta esse. Quomodo autem sunt supplenda? Possis coniicere *Π* pro *πολείτην*, ut est in titulo Philadelphino C. J. n. 3426 *Ἀθηναῖος καὶ Φιλαδελφεὺς καὶ Ῥόδιος καὶ ἄλλων πολλῶν πολείτης*.

Praeter hos titulos etiam alios quosdam iam notos vidi et transscripi. In eadem domo ubi n. 8, est Fourmontianus C. J. n. 1358. At desunt nunc quatuor ultimi versus. Cetera plane congruunt Fourmontiano apographo.

Sclavochorii in domo rustici est titulus Fourm. C. J. n. 1404, quem ille „Spartae iuxta templum Lycurgi“ se vidisse asserit. Desunt in parte sinistra binae litterae versuum. In v. 1 habeo *ΘΕΟΠΡΟΠΙΟΝ*, cetera ut Fourm.

Ibidem prope ecclesiam *τῆς Παναγίας* iacet columella cum inscriptione C. J. n. 1445, quam integram vidit Fourm., iam mutilatam, ut nunc est, Comes Aberdeenus, cuius apographum minus accuratum est, quam Fourmontianum. Quae enim servata sunt, fere omnia bene ab hoc sunt lecta, nisi quod v. 6 pro Σ est Ξ, quod Boeckhius iam restituit, v. 9 *ΕΥΔ* ut Aberd. scripsit, et v. 10 Σ omisso illo parvo intus scripto Σ, quod Fourm. habet. Sigma eam habet figuram, quam Fourm. praebet (⊏), litterae fere sunt 3—4 centim. altae.

Spartae in muro domus Nicolai Iatrakis sunt tituli Rossiani Inscr. Ined. fasc. I n. 19 et 24, sed uterque magis mutilatus, quam quo tempore Rossius eos transscripsit. Moneo tantum in n. 24. v. 5 non *ΣΙΠΠΟΣ* esse, quod ille supplevit *Λύ)σιππος* sed *ΞΙΠΠΟΣ*. Erat igitur *Ζεύξιππος*, *Σοίξιππος* vel tale quid.

In eadem domo est inscriptio, a Welckero edita in Bulletino dell Instit. Arch. 1844. p. 145 quam doleo me deficiente tempore non integram transscripsisse. In fine versus ultimi ego quoque legi *ΑΦΑΡΕΙΝ*, attamen *P* minus certum mihi visum est.

ADDENDUM. p. 8. v. 5. Titulus n. 1296 non est Spartanus sed Messenius. In altera Papei lexici editione nomen *Δαμίων* receptum est.

N°1.

ΠΟΟ ΟΔΟΝΠΟΙΗΣΑΜΕΝΟΥΔΑΜΙΩΝΟΣ
ΤΟΥΘΕΟΚΡΙΤΟΥΑΜΒΡΑΚΙΩΤΑΠΕΡΙ
ΠΡΟΞΕΝΙΑΣΚΑΙΕΠΕΛΘΟΝΤΟΣΕΠΙ
ΤΕΤΑΣΣΥΝΑΡΧΙΑΣΚΑΙΤΟΝΔΑ
ΜΩΝΚΑΙΑΠΟΛΟΓΙΣΑΜΕΝΟΥΑΗΝΠΕΠΟΙ
ΩΣΕΥΧΡΗΣΤΑΚΑΙΚΑΤΑΚΟΙΝΟΝΚΑΙ
ΚΑΤΙΔΙΑΝΤΟΙΣΕΝΤΥΓΧΑΝΟΥΣΙΝΤΩΝΠ
ΛΠ ΝΕΔΟΞΕΤΩΙΔΑΜΩΙΠΡΟΞΕΝΟΝ
ΕΙΝΑΙΤΑΣΠΟΛΕΟΣΔΑΜΙΩΝΑΘΕΟΚΡΙΤΟΥ
ΜΒΡΑΚΙ ΤΑΝΚΑΙΑΥΤΟΝΚΑΙΕΓΓΟΝΟΥΣ
ΑΙΥΠΑΡΧΕΙΝΑΤΕΛΕΙΑΝΑΥΤΩΙΤΕΚΑΙΕΓ
ΟΝΟΙΣΚΑΙΓΑΣΚΑΙΟΙΚΙΑΣΕΓΚΤΗΣΙΝ
ΟΓ ΟΙΕΧ ΛΛΑΚΕΔΑΙΜΟΝΙΟΔΕΕΓΔΟ
ΗΡΙ ΔΟΤΩΣΤΑΛΑΝΛΙΘΙΝΑΝΕΙΣΑΝ
ΑΝΑΓΡΑΦΕΙΣΑΛΔΕΔΕΔΟΜΕΝΑΠΡΟΞΕΝΙ
ΑΝΛΤΕΘΗΣΕΤΑΙΕΙΣΤΟΙΕΡΟΝΤΑΣΑΘΑΝΑΣ
ΑΤΑΣΥΝΓΡΑΦΑΝΑΝΚΑΙΓΡΑΨΕΙΟΑΡΧΙΤΕ
ΤΩΝΤΟΔΕΑΝΑΛΩΜΑΔΟΝΤΩΟΙΤΑΜΙΑΙ
ΕΠΑ ΝΗΣΑΙΔΕΑΥΤΟΝΚΑΙΕΠΙΤΑΙΕΝ
ΔΑΜΙΑΙΚΑΙΑΝΑΣΤΡΟΦΑΙΑΙΠΕΠΟΙΗΤΑΙ
ΕΝΤΑΙΠΟΛΕΙΚΑΛΕΣΑΝΤΩΔΕΑΥΤΟΝ
ΚΑΙΟΙΙΕΡΟΘΥΤΑΙΕΠΙΞΕΝΙΑΕΠΙΤΑΝΚΟΙ
ΝΑΝΕΣΤΙΑΝ

N°4.

ΕΠΙ ΓΡΑΤΟΝΙΚΟΥ
ΓΕΔΙΑΝΟΜΟΙ

N.º 5.

ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΙ
ΚΑΙΣΑΡΙΑΔΡΙ
ΑΝΩΣΕΒΑ
ΣΤΩΣΩΤΗ
ΡΙ

N.º 3.

Ν
ΓΕΛΟΥΜΕ
ΤΗΣΑΝ

N.º 7.

· · Ο · · · Μ ·
ΣΕΠΙΣΩΙΞΙΛΔΑ
ΓΡΑΤΟΝΙΚΟΣΑΡΧΙΤΕΑ
ΩΚΛΕΙΔΑΣΠΙΣΤΟΥ
ΔΙΩΝΤΙΜΟΦΑΝΕΟΣ
ΙΘΑΙΡΩΝΑΝΔΡΟΝΙΚΟΥ
ΑΛΛΙΜΑΧΟΣ
ΤΑΙΔΙΣΚΙΩΡΟΣ
· ΘΗΝΙΩΝ

N.º 6.

ΚΑΛΛΙΚΡΑΤΗ
ΧΑΙΡΕ
ΔΙΟΚΛΙΑ
ΧΑΙΡΕ

N.º 2.

ΗΝΑΙΟΣ
Σ

N.º 8.

ΗΠ ΜΥΡΝΑΙΩΝΓΙΟΥΛΙΟΝ
ΙΟΥΛΙΑΝΟΝΤΟΝΙΔΙΟΝΠΟΛΕΙΤΗΝ
ΝΕΙΚΗΣΑΝΤΑΤΡΑΓΩΔΟΥΣΟΥΡΑΝΙ
ΑΔΑΓΚΑΙΠΥΘΙΑΚΑΙΑΚΤΙΑΚΑΙΚΟΙΝΑΑΣΙΑΣ
ΠΚΑΙΤΟΥΣΛΟΙΠΟΥΣΑΓΩΝΑΣΠΕΝΤΑΕΤΗ
ΡΙΚΟΥΣΤΕΚΑΙΙΙΙΕΤΗΡΙΚΟΥΣΤΜΠΟΛΕΙ
ΤΕΥΘΕΝΤΑΔΕΕΝΟΛΗΤΗΕΛΛΑΔΙΚΑΙΜΑΚΕ
ΔΟΝΙΑΚΑΙΘΕΣΣΑΛΙΑ ΚΑΙΚΡΗΤΩΝΙ